



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Vita, Epistolae Et Decreta Liberii Papae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO  
CHRISTI  
350.

<sup>d</sup> *Et in omnibus Misis.*] Hunc Canonem de canendo trisagio in primo Vasensi Concilio contra doctrinam Arii statutum fuisse, affirmat Baron. anno 442. in fine, ideo scilicet, ut in omnibus diuinis mysteriis laudes sanctissimæ Trinitatis occinerentur.

Cap. II.  
Causa huius Canonis sancti qua.

<sup>e</sup> *Et quia non solum in sede apostolica.*] Cum Ariani blasphemantes dicerent, Filium a Patre in tempore factum, & fuisse tempus quando non erat: Placuit Nicæni Concilii patribus, quod etiam supra in notis eiusdem Concilii diximus, ad antiquum glorificationis hymnum hunc, *Gloria Patri & Filio*, illam appendicem adiciere, qua dicitur: *Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.* Quæ appendix cum ab hoc Vasensis Concilii Canone recepta fuerit, concedi debet, eundem esse illius Vasensis Synodi, quæ temporibus Iulii pontificis & Constantii imperatoris celebrata fuit paulo post Concilium Nicænum. Vide Baron. anno Christi 325. num. 176. & 177. item anno 442. in fine. & anno 463. num. 14.

Cap. III.  
Occasio constitutionis quæ fuerit.

Hymnus glorificationis quando institutus.

V I T A,  
EPISTOLÆ ET DECRETA  
LIBERII PAPÆ.

*Ex libro pontificali Damasi papæ.*

ANNO  
CHRISTI  
352.

**L**IBERIVS natione Romanus, ex patre Augusto, <sup>b</sup> fedit annis sex, mensibus tribus, diebus quatuor. <sup>c</sup> Fuit autem temporibus Constantii filii Constantini vsque ad Constantium Augustum <sup>\*</sup> octauum. <sup>d</sup> Hic a Constantio deportatur in exilium, eo quod nolisset hæresi Arianae consentire: & <sup>e</sup> fuit in exilio annos tres. Et <sup>f</sup> congregantes sacerdotes Concilium, ordinauerunt in locum eius episcopum Felicem presbyterum venerabilem virum. Et fecit Concilium Felix, & inuenit duos <sup>\*</sup> episcopos consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine <sup>g</sup> Vrsacium & Valentem, & damnauit eos in Concilio quadraginta octo episcoporum. <sup>h</sup> Post paucos autem dies, zelo ducti Vrsacius & Valens rogauerunt Constantium Augustum, ut reuocaret Liberium de exilio, ut <sup>i</sup> vna tantum communionem participaret, extra secundum baptismum. Tunc missa auctoritate per Catulinum agentem in rebus, simul & Vrsacius & Valens venerunt ad Liberium. Qui <sup>k</sup> Liberius consensit præceptis Augusti. Tunc

\* congregans sacerdotes cum Concilio suo Liberius.  
\* presbyteros.

\* vna tantum communionem.

*Concil. Tom. 3.*

Q

reuocauerunt Liberium de exilio.<sup>1</sup> Rediens autem Liberius de exilio, habitauit in cœmeterio sanctæ Agnetis apud germanam Constantii Augusti, vt quasi per eius interuentionem aut rogatum rediret Liberius in ciuitatem. Tunc Constantia Augusta, quæ fidelis erat Domino Iesu Christo, noluit rogare Constantium Augustum germanum suum, quia senserat consilium. Eodem tempore Constantius imperator, vna cum Vrfacio & Valente, conuocauerunt aliquos qui ex face Ariana erant, & quasi factò Concilio, misit & reuocauit Liberium de cœmeterio beatæ Agnetis, vbi sederat. Et ingressus Romam, in ipsa hora Constantius Augustus fecit Concilium cum hæreticis, simul etiam cum Vrfacio & Valente, & eiecit Felicem de episcopatu, qui erat catholicus, & reuocauit Liberium.<sup>2</sup> Ab eodem die fuit persecutio maxima in clero, ita vt intra ecclesiam presbyteri & clerici plures necarentur, & martyrio coronarentur.<sup>3</sup> Qui Felix, depositus de episcopatu, habitauit in prædiolo suo via Portuensi, vbi & requieuit in pace quarto Kalendas Augusti. Ingressus Liberius in urbem Romam quarto Nonas Augusti,<sup>4</sup> consensit Constantio hæretico, non tamen rebaptizatus est, sed consensum præbuit. Et tenuit basilicas beati Petri & beati Pauli, & basilicam Constantinianam annis sex. Et persecutio magna fuit in vrbe Roma, ita vt clerici & sacerdotes, neque in ecclesiam, neque in balnea haberent introitum. Hic Liberius ornauit de platonis marmoreis sepulcrum S. Agnetis martyris. Omnes itaque anni Felicis in eius ordinem dinumerantur. Hic fecit basilicam nomini suo iuxta macellum Libyæ. Hic fecit ordinationes duas in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros octodecim, diacones quinque, episcopos per diuersa loca decem & nouem. Qui sepultus est via Salaria in cœmeterio Priscillæ, quinto Idus Septembris, alias octauo Kalendas Maii. Et cessauit episcopatus dies sex.

## NOTÆ.

Liberius  
quando pontificatum  
adeptus.

<sup>1</sup> Liberius. ] Post interregnum 25. dierum, anno Christi nati 352. Constantii imperatoris 16. pontificatum ecclesiæ inuitus accepit sanctæ memoriæ Liberius, teste Ambrosio pontifex beatissimus: cuius præter multas epistolas reperiuntur acta de curatione & lepra

Constantini imperatoris conscripta: apud Ambros. lib. 3. de virg. ex-  
 rat eiusdem integer quidam sermo, quem habuit in consecratione  
 fororis. Tantis Athanasii defensor & Arianorum hostis fuit, ut  
 Constantius imperator per victoriam Magnentii elatus, publico edi-  
 cto sub pœna exilii mandauerit, ne quisquam deinceps Athanasium  
 defenderet, Arianosque a communione ecclesiæ excluderet. Iniu-  
 sto imperatoris edicto cum pontifex furtim Roma Mediolanum  
 adductus obtemperare noller, post multos alios ex Mediolanensi  
 Conciliabulo relegatos, in Thraciam deportatur. Postquam bien-  
 nio exulasset, ad subscribendum Sirmicensi confessioni primæ, ad  
 condemnandum innocentem Athanasium, & denique ad commu-  
 nicandum cum Arianis vi metuque tormentorum, tædio exilii & ca-  
 lamitatum, denique spe recuperandæ pristinæ sedis atque dignitatis  
 inductus, infelix infeliciter labitur, sibi que vitæ ac morum turpissi-  
 mam maculam inurit. Relaxatum ab exilio Valens & Vrsacius au-  
 thoritate imperatoris quidem in urbem introduxerunt, Felicem-  
 que sede pontificia amouerunt: sed ne pontifex de fide suspectus ca-  
 thedram Petri coinquinaret, singulari Dei prouidentia accidit, ut  
 dum verus pontifex catholicus cum Arianis communicando labe-  
 retur, & pontificatu excideret, Felix exulante Liberio schismati-  
 cus, & Arianorum communione pollutus, compaginem illam  
 abrumperet, Constantium, Valentem, Vrsacium, omnesque Aria-  
 nos tamquam hæreticos excommunicaret, iustoque Dei iudicio  
 verus pontifex esse inciperet. A cuius communione catholici, post  
 Liberium ab exilio restitutum, ne quidem per vim & martyrium  
 dimoueri, cumque Liberio Arianæ communionis labe & macula  
 coinquinato, quamdiu Felix in viuis erat, coniungi potuerunt.  
 Cum autem post martyrium Felicis, maiore Dei beneficio, Li-  
 berius vicissim Arianorum communionem præscidisset, Arimi-  
 nensis Conciliabuli formulam reprobasset, fideique vexillum  
 vicissim erexisset, non modo a clero Romano præsul & pontifex  
 legitimus haberi cœpit, verum etiam turpissimam illam maculam  
 vitæ ac morum ante contractam, omnino eluit, & tandem anno  
 Domini 367. sanctissime ex hac vita discessit. Vnde est, quod S. Am-  
 brosius, Epiphanius & Basilius, beatissimum virum passim appellant,  
 quodque eundem Siricius pontifex, epistola ad Hymericum, ve-  
 nerandæ memoriæ prædecessorem suum nominet. Liberium, quod  
 calumniantur hæretici, Ariana hæresi infectum fuisse, falsum est, si-  
 quidem nihil orthodoxæ fidei contrarium scripserit aut docuerit.  
 Cum Arianis communicantem, Athanasium iniuste condemnan-  
 tem, fideique formulæ, nomine *consubstantialis* carenti, quantum-  
 uis catholica esset, subscribentem peccasse, suspensionem hæreseos  
 iustam in foro exteriori incurrisse, iustaque de causa a catholicis vita-  
 tum fuisse, libenter concedimus. Vide Baron. ann. 355. num. 53. &  
 seqq. & 357. num. 46. & seqq. Bellarm. de Rom. pont. lib. 4. c. 9.

Sub huius pontificatu exortæ fuerunt hæreses Anomianorum,  
 qui filium Dei patri dissimilem esse docebant: Macedonianorum

Scripta Li-  
berii.

Defensio  
Athanasii  
edict. Con-  
stantii pro-  
hibita.  
Liberii exi-  
lium.

Lapsus Li-  
berii.

Felix pon-  
tifax factus.  
Prouiden-  
tia Dei erga  
Felicem.  
Liberius fi-  
dem catho-  
licam confi-  
tetur.

Liberii obi-  
tus qualis,  
& quando  
contigerit?  
Liberius nõ  
fuit hæreti-  
cus.

Hæreses  
sub Libe-  
rio.

Q ij

Lucifer  
schismaticus.  
Donatistarum  
impia  
crudelitas.

Spiritus sancti diuinitatem negantiū: Massalianorum, qui ex monachis exorti, ceteris omnibus neglectis, soli orationi semper vacandum esse docebant. Lucifer Calaritanus episcopus, legationibus pontificiis aliquoties functus, Decretum Alexandrinæ Synodi de lapsis episcopis recipiendis improbens, factus est (proh dolor) schismaticus. Donatista per edictum Iuliani ab exilio reuersi, funestissimas illas, quas enarrat Optatus lib. 2. altarium demolitiones, calicum contractiones & direptiones, clericorum & laicorum plurimorum trucidationes, virginum & matronarum raptationes, horrendas denique sacramentorum omnium violationes patrarunt. E quibus illud memorabile, quod sacra eucharistia canibus proiecta, iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos, tamquam ignotos & inimicos, dentibus suis lanauerint; quodque ampullam chrisimatis, per fenestram vt frangeretur iactatam, manus angelica ita sustinuerit, vt inter saxa illæsa confederit. Hæc ex Optato, aliiſve Baron. in annalibus.

Quamdiu  
Liberius  
federit.

<sup>b</sup> *Sedit annos sex, mensibus tribus, diebus 4.* ] Liberium annis 15. mensibus 4. & vno die pontificatum obtinuisse, certo colligitur ex temporibus, quibus cœpit ac desit. Anno 352. octauo Maii, sedem pontificiam adeptus, vt ex præcedentibus patet, tenuit eam deinceps vsque ad 9. diem Septembris, anni 367. Cum enim testimonio Ammiani lib. 27. sæuum Vrsicini schisma aduersus Damasum sub præfectura Viuentii exortum fuerit, constetque ex lib. 12. de poenis C. The. illius præfecturam sub consulatu Lupicini atque Iouini contigisse, anno nimirum Christi 367. certum est illo anno Liberium pontificatu ac vita defunctum esse, atque Damasum illi successisse. Nono Septembris sepultum refert auctor pontificalis. Quibus ita firmiter constitutis, verum esse patet, quod de tempore Liberii supra diximus.

Error libri  
pontificalis.  
Constantius  
imperator  
qualis.  
Iulianus  
apostata.

<sup>c</sup> *Fuit autem temporibus.* ] Errat libri pontificalis auctor. Præfuit enim ecclesiæ sub Constantio, Iuliano, Iouiano, Valentiniano & Valente imperatoribus, vsque ad annum 367. qui est Valentis 4. Constantius Arianorum fautor, adhuc catechumenus, animam agens in lecto ab Arianis baptizatus, eodem tempore, quo per Arianorum Antiochenum Conciliabulum, diuinitatem Christo Domino ademerat, per Iulianum imperio spoliatus fuit. Iulianus abnegata, quam metu Constantii decennio simularat, Christi fide, factus est apostata. Qui vt initio imperii Christianorum animos sibi conciliaret, omnes ab exilio exules episcopos reuocauit. Hac occasione, Athanasius per Georgium Cappadocem sede Alexandrina armata manu tertio expulsus, post prædictum Georgium ab Alexandrinis illatam sibi sub Constantio iniuriam vindicantibus interfectum, ab exilio, eremo & cisterna illa sicca, in qua quinquennio latuerat, Alexandria reuersus fuit. Sed cum opera reducis Athanasii omnes dii condemnaretur, Iuliani rescriptis quarta vice exulare, & ab vrbe recedere cogitur. Cumque hanc ob causam, commendata amicis ad breue tempus ecclesia (*bono estote animo, dicebat, nebula enim*

Athanasius  
quoties  
exularit.

est, & breui euanesceat) nauigium conscendisset, ac paulo post intellexisset, esse qui se ad interficiendum insequerentur, conuerso in aduersam partem nauigio, insequentes frustratus, venit Alexandriam; ibique toto tempore, quo vixit Iulianus, delituit. Nouo & inaudito genere persecutionis Christianos aggressus fuit. Gloriam martyrii inuidens, id sedulo egit per suos, ne qui causa pietatis, sed tantum alicuius criminis nomine, vt facinorosi punirentur. Quod ex euangelii præcepto Christiani nequaquam diuitiis affluere, sed perfectionis causa omnia erogare deberent; fiscus bona eorum diripuit. Bona pauperum inuadentes, velle percussi, vel a dæmone arrepti fuerunt. Omnia priuilegia Christianis ademit, neve iniuria affecti audirentur in iudicio, constituit. Artes eos docere vel discere vetuit. Certior factus, Cæsareæ Philippi vrbs Phœnicæ præclaram esse Christi statuam, quam mulier quæ sanguinis profluuio laborabat, cum esset morbo liberata, ibi collocauerat (ex cuius basi herba quædam, quæ cuiusvis generis morbis mederi solet, nascebatur) eam deturbauit, suamque in eo loco posuit. Quo factò, ignis violentus de cœlo delapsus statuam illam circa pectus dissecuit, caputque vna cum collo in terram deiecit. Contumeliæ causa, & ad Christi nomen delendum publica lege præcepit, vt Christiani Galilæi vocarentur. Refert Theodoretus Iulianum simul ac telum ab angelo sibi immissum corpore excepisset, manum protinus sanguine impleuisse, & illum in aerem proiecisse ac dixisse: *Vicisti Galilæe.*

Persecutio Christianorum sub Iuliano qua-  
lia.

Iulianus statuam Christo erectam deiecit.

Iuliani interitus.

Iouianus confessione Christi nominis sub Iuliano clarus, a ducibus exercitus, diuino numine impellente, imperator electus, anno Christi 363. præ ceteris episcopis, Athanasium ab exilio quarto reuocat, vnum maxime catholicæ fidei propugnatorem acerrimum, fideique veritatem ab eo sibi tradi postulat. Post hunc noctu exanimatum, reliqui duo confessione clari, qui cum Iouiano sub Iuliano zonam militarem deponere maluerunt, quam diis sacrificare, Valentinianus & Valens, imperium Dei nutu ac voluntate consecuti fuerunt, anno Christi 364. Valentiniani responsum, quod dedit Hypatiano Heracleæ episcopo, Synodi indictionem petenti, præclarum hoc est: *sibi, qui vnus e numero laicorum esset, non licere se eiusmodi negotiis interponere. Ideo sacerdotes, inquit, & episcopi, quibus hac cura sunt, seorsum perse, vbicumque ipsis libitum fuerit, conueniant.*

Iouianus quando & quomodo imperium adeptus Valentinianus & Valens imperium adepti quando. Valentiniani prouidens responsum.

Valens ad tertium annum imperator catholicus, in procinctu Gothico, bono consilio salutarem baptismum expetens, vxoris Arianae blanditiis delinitus, pessimo consilio ad Arianos transit, & ab Eudoxio Arianorum nequissimo baptizatus, ab eo iuramento obstringitur, vt in impio suscepto dogmate perseueret, & diuersa sentientes vbique ecclesiis exigat. Hæc ex Baronii annalibus. Plura vide infra in notis epistolarum, Conciliorum, & in vitam Felicis.

Valens Arianorum fautor.

<sup>4</sup> *Hic a Constantio deportatur in exilium.* ] Hac in re auctorem libri pontificalis aberrare patet ex notis Conciliabuli Mediolanensis infra. Nolens, quod iubebatur, Athanasium condemnare, relegatus est in Thraciam.

Error libri pontificalis.

Quamdiu  
Liberius  
exulauerit.  
Felix ab  
Arianis Li-  
berio subro-  
gatus fuit.

<sup>o</sup> *Fuit in exilio annos tres.*] Cum anno Christi 355. relegatus, anno 357. ab exilio liberatus fuerit, bienniotantum completo, vel tribus inchoatis, exulasse necessum est.

<sup>f</sup> *Congregantes sacerdotes Concilium, ordinauerunt.*] His dictis libri pontificalis, testimonia clarissimorum huius temporis scriptorum refragantur. Hieron. de scriptor. eccles. in Acacio, de ipso loquens; *In tantum*, inquit, *sub Constantio imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem episcopum constitueret.* Rufinus lib. 1. cap. 22. *In Liberii locum Felix diaconus suus ab hæreticis subrogatur, & non tam sanctæ diuersitate, quam communionis & ordinationis conuenientia maculatur.* Athanasius epist. ad solit. addit, eundem Felicem molitione Epiſceteri, a tribus Arianis episcopis ordinatum esse. Ea igitur, quæ de Felicis ordinatione auctor pontificalis scribit, nequaquam subsistere posse videtur. Accedit, quod Liberio adhuc viuento, pontificiamque dignitatem gloriosæ confessionis titulo illustrante, pontifex creari non potuerit, ne vnius catholicæ ecclesiæ duo essent episcopi, vniusque corporis duo capita turpiter eminent. Si dicas eum a Concilio sacerdotum, Liberio procurante, coepiscopum dumtaxat Romanæ ecclesiæ delectum fuisse, non admodum repugno: quamquam id neque testimonia prædictorum patrum dici patiantur, neque ab Arianis hoc permissum fuisse videatur.

An Felix  
fuerit coe-  
piscopus Li-  
berii.

Felix catho-  
licus sem-  
per fuit, sed  
Arianorum  
communio-  
ne pollus-  
tus.

Felicem ab Arianis subrogatum non Arianum, sed catholicum fuisse, in primis Rufini testimonio constat; secundo apertis verbis idem testatur Theodoret. lib. 1. cap. 17. dum ait: *SUCCESSUM EST LIBERIO A FIDELI QUODAM ILLIUS DIAcono, nomine Felice: qui tamen si fidem a Nicæno Concilio expositam ipse seruauit integram, tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, libere communicauit, ac propterea nemo ex habitatoribus in ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.* Sozom. denique lib. 4. cap. 10. idem testatus, addit: *Romana ecclesiæ episcopatus præficitur Felix illius cleri diaconus, quem aiunt fidei Concilii Nicæni semper consensisse, & omnino, quantum ad religionem pertinebat, reprehensione caruisse, atque ob id solum in crimen vocatum esse, quod non modo Arianos ministros ecclesiæ ordinaret, verum etiam quod eorum cõmunionem vteretur.* Sic intelligendū est quod ait Socrat. lib. 2. c. 29. Felicē Arianæ sectæ addictū fuisse: nimirū, quod illis cõmunicaret, & ex eorum voluntate sententiæ in Athanasium latæ subscripsisset. Si, quod aiunt Rufinus & Theodoret. Felix fuerit diaconus Liberii, dubiū nullum esse potest, ipsum catholicum fuisse. Nam vt Liberius Arianū nomen semper auersatus, Arianum diaconum sibi ministrare passus fuerit, non est credibile. Quod apud Hieronym. de script. eccles. in Acacio nomen *Arianum* Felici additum reperiatur, mendosum esse patet ex chronico, aliisque codicibus antiquioribus, & Græco Sophronii textu. Vide Baron. an. 355. n. 54. & seqq. Bellar. de Rom. pont. lib. 4. c. 9.

Felix Dei  
consilio fit  
Romanus  
pontifex.

<sup>g</sup> *Vrsacium & Valentem, & damnauit eos.*] Circa illud tempus, quo Liberius cum Arianis communicans turpiter labitur, Felix eorundem cõmunionem ante pollurus, mirabili Dei consilio ac prouidentia a lapsu erectus, Constantiū, Vrsacium, Valentem, omnemque Arianos

condemnando, & excommunicando, communionem eorumdem abruptit, ne Liberio substituendus, cathedram Petri vel hæreseos suspitione coinquinet.

<sup>h</sup> *Post paucos dies.*] Vide notas epistolarum Liberii ad orientales.

<sup>i</sup> *Vna tantum communionem participaret extra secundum baptismum.*] Hæc quomodo intelligenda sint, vide infra verbis *Consensit Constantio heretico, non tamen rebaptizatus est.*

<sup>k</sup> *Liberius consensit præceptis Augusti.*] per vim nimirum, tormenta atque tædium exilii inductus, Sirmianam confessionem primam, atque Athanasii condemnationem, subscribendo approbavit, & cum Arianis communicavit. Vide notas epistolæ ad orientales. Et Concil. Sirm.

Liberii lapsus qualis.

<sup>l</sup> *Rediens de exilio habitavit in cæmeterio S. Agnetis.*] Ea, quæ de habitatione Liberii in cæmeteriis suburbanis S. Agnetis ab auctore libri pontificalis referuntur, male cum primo Liberii exilio coniunguntur. Nam teste Sozomeno lib. 4. cap. 10. Liberius ab Arianis binis diuersis vicibus grauius est vexatus. Primum, quando Roma furtim abductus est Mediolanum, atque recusans subscribere sententiæ in Athanasium per Mediolan. Conciliabulum pronuntiata, inde in Thraciam est relegatus. Secundo, dum nolens Ariminensem formulam approbare, per Valentem episcopum Arianum, qui eam potestatem ab imperatore acceperat, Roma expulsus fuit. Prior vexatio exilium: posterior simplex tantum ab vrbe expulsio fuit. Prior contigit Mediolani anno Christi 355. posterior contigit Romæ post Ariminense Conciliū, anno Christi 359. Priore vexatione liberatus, teste Hieronymo in chronic. *Romam quasi victor intrauit*: maxima enim pompa per Constantii ministros in urbem introductus fuit. Itaque quod hic in suburbanis commoratus fuisse dicitur, non nisi post secundam illam a Valente illatam vexationem contigisse potuit. Vide notas Sirmienfis & Ariminensis Concilii. Item Baronium anno 359. num. 46. 47. 48.

Liberius bis ab Arianis vexatus.

Ab exilio liberatus cum pompa in urbem introductus.

<sup>m</sup> *Eiecit Felicem de episcopatu.*] Sozom. lib. 4. cap. 14. ait scriptum esse *Felici tum Romanæ ecclesie antistiti, & clero eiusdem ecclesie, uti Liberium recipiant, & ambo pariter sedem apostolicam administrant, communique consensu & concordia sacerdotio illo fungantur, &c.* Quod hic asseritur ab auctore libri pontificalis, probabilius esse videtur.

An Felix a pontificatu deiectus fuerit.

<sup>n</sup> *Ab eodem die fuit persecutio maxima in clero.*] ideo quod Liberium manifesta communionem Arianorum pollutum, atque adeo a pontificatus functione plane alienum, vniuersus clerus Romanus auerfaretur, seque Felici vexillum fidei catholicæ extollenti coniungeret, ut supra diximus.

Cædes Romanorum.

<sup>o</sup> *Martyrio coronarentur.*] Tunc contigisse videtur, ut Eusebius Romanus presbyter a ministris Constantii intra cubiculum clausus, illic mensibus septem perseverans, fame consumptus spiritum exalarit. Baron. in Mart. notis die 24. Augusti.

Eusebii Romani presbyteri martyrium.

<sup>p</sup> *Qui Felix depositus.*] De exitu Felicis aliter hic, aliter in vita eius auctor pontificalis sentit.



An Ariani  
baptizant  
catholicos  
ad se defi-  
cientes.

<sup>9</sup> *Consentit Constantio heretico, non tamen rebaptizatus est.*] Hoc videtur indicare, quod etsi Liberius cum Arianis communicauerit, non tamen factus fuerit Arianus per secundum baptismum, quo solerent illi catholicos ad se deficientes iterum baptizare. Sed hæc quidem superflua, & ab aliquo addita; nondum enim Ariani rebaptizabant: quin & ecclesia hoc tempore non respuebat Arianorum baptismum, vt testatur S. Hieronymus aduersus Luciferianos. Baronius anno 357. num. 41.

Cum hære-  
ticis ne qui-  
dem in bal-  
neo est cõ-  
munican-  
dum.

<sup>r</sup> *Persecutio magna fuit in vrbe Roma, &c.*] Illi qui Liberio non communicabant, non tantum ab ecclesia, sed etiam a balneis publicis abstinebant; ne scilicet vna cum illis lauarentur, vt qui scirent ex sententia Ioannis euangelistæ, neque balnei lotionem cum hæreticis participandum esse: atque ideo in hos a magistratu sæuitum est. Baron. anno 357. num. 58.

## ·EPISTOLÆ LIBERII PAPÆ·

### NOTA.

Duæ episto-  
læ Liberii  
commenti-  
tiz.

<sup>a</sup> *Epistola.*] Epistolas Liberii, quas aliunde in hanc editionem transferri curauimus, eo ordine, quo scriptæ fuerunt, collocauimus. Duæ sub nomine Liberii extant in fragmentis Hilarii, quibus Athanasium a Liberio principio pontificatus illius damnatum fuisse asseritur. Harum vna ad orientales episcopos: altera, ad Ursacium, Valentem & Geminium scripta fuit. Quæ cum falsæ sint & ab Arianis excogitatae eo fine, vt scilicet expurgationem Liberii, qua dicebatur vi ad condemnandum Athanasium inductus fuisse, exquisitis hisce mendaciis refellerent, eas inter Liberii hic excusas putauimus non esse referendas. Ne quis tamen eas desiderare possit, referam vtramque infra in notis germanæ epistolæ ad orientales scriptæ. Ad Fortunatianum Aquileiæ episcopum adhuc in fidei catholicæ professione stantem, ante lapsum eius, qui contigit anno Christi 354. Liberius epistolam scripsit: *ad fratrem & coepiscopum nostrum Fortunatianum, inquit in epist. 3. ad Eusebium, quem sciebam neque personas hominum vereri, & futura magis premia cogitare, literas erogavi, &c.* Verum iniuria temporis deperditæ desiderantur. Illæ etiam, quarum infra mentionem faciemus in notis Concilii Illyrici & Tyanensis, quas vna cum pacificis & communicatoriis ad orientales infra extantibus dedit legatorum primario Eustathio Sebasteno, quibusve auctoritate apostolica præcipit, Eustathium & reliquos sedibus suis exspoliatos, post habitam fidei catholicæ professionem, suis ecclesiis restitui, non extant. S. Basilius epist. 74. ait, Eustathium Sebastianum hisce Liberii literis in Tyanensi Concilio ostensis, confestim suam ecclesiam recepisse. Aliarum quædam tantum fragmenta reperiuntur, vt infra dicemus.

Liberii ad  
Fortunatia-  
num episto-  
la, cum qui-  
busdam aliis  
non extat.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ I.  
LIBERII PAPÆ AD OSIVM  
Cordubensem episcopum, de lapsu Vincentii,

*Ex Baronio huc translatum.*

QVIA in nullo conscientiam tuam debeo præterire: multi ex Italia episcopi conuenerunt, qui mecum religiosissimum imperatorem Constantium fuerant deprecati, vt iuberet, sicut ipsi placuerat dudum, Concilium Aquileiense congregari. Vincentium Capuensẽ cum Marcello æque ex Campania episcopo legationem nostram suscepisse, sanctitati tuæ insinuo. De quo cum multa sperarem, quod & causam optime retineret, & iudex in eadem causa cum sanctitate tua frequenter resedisset: credideram Dei euangelium sua legatione posse seruari. Non tantum nihil impetrauit, sed & ipse in illam ductus est simulationem. Post cuius factum duplici mœrore confectus, moriendum magis pro Deo decreui, ne videar nouissimus delator existere: nam videtur sententiis accommodasse consensum.

Extat in  
Codice Va-  
ticano  
num. 2672.  
cuius est in-  
scriptio Cõ-  
cordia Cavo-  
rum.  
Baron. ann.  
353. num. 19.

## NOTÆ.

\* *Vincentium.*] Constantius victoria Magnentii elatus, publico edicto mandarat, vt Ariani in communionem ecclesiæ reciperentur, Athanasius vero condemnaretur. Liberius, vt eum a concepto furore placare posset, atq; imminente non tam aduersus Athanasium, quam vniuersam ecclesiam catholicam, ac præsertim in occidentales episcopos persecutionem anteuertret, deputatos anno præcedente legatos, Vincentium atque Marcellum, ad Constantium Arelate in Gallia agentem ablegauit, qui de cogendo Aquileiæ Concilio illum interpellarent. Arelatem venientes, inuenerunt ibi complures Arianae factionis episcopos, & aliquos occidentales, Saturninum & Fortunatianum Aquileiæ episcopum, quos Ariani per Constantium in suam communionem pellebant. Vincentius horum importunitate sollicitus, & imperio Constantii deceptus, tandem, proh scelus, vel precibus, vel minis Arianorum aut Constantii inflexus, summi fidei athletæ, innocentissimique viri Athanasii damnationi turpissime subscripsit, suoque exemplo omnes prope Italiæ episcopos ad idem scelus committendum induxisset, nisi secunda legatio pontificis per Luciferum episcopum eiusque collegas id impediisset. Hæc ex Seuero lib. 2. epist. Liberii ad Constantium & Eusebium, & apol. Athanasii ad Constantium. Baron. anno 353. num. 15. & seqq.

Prima lega-  
tio ad im-  
peratorem,  
qua occa-  
sione depu-  
tata.

Vincentii  
lapsus.

*Concil. Tom. 3.*

R

EPISTOLA II. LIBERII PAPÆ  
AD CONSTANTIVM.*Gloriosissimo Constantio Augusto Liberius episcopus.*

Extat in ap-  
pendice ad  
Lucifer. op.  
& tom. 9.  
Bibl. sanctæ  
apud Ba-  
ron. an. 354.  
num. 2.

**O**PTO, tranquillissime imperator, vt mihi benignas  
aures clementia tua tribuat, quo possim mansuetu-  
dini tuæ mentis meæ propositum aperire. De Christiano  
etenim imperatore, & sanctæ memoriæ filio Constanti-  
ni, hoc ipsum sine cunctatione mereor impetrare. Sed  
in eo me laborare intelligo, qui repetita satisfactione,  
placabilem etiam circa reos animum tuum in gratiam  
meam reuocare non possum. Sermo enim pietatis tuæ  
iamdudum ad populum missus, me quidem, quem pa-  
tienter omnia ferre necesse est, plurimum lacerat: sed  
animum tuum, qui lenitati semper vacat, qui nun-  
quam, vt scriptum est, in occasum diei iracundiam ser-  
uat, retinere circa me indignationem, miraculo mihi  
est. Ego enim, religiosissime imperator, tecum veram  
pacem requiro, quæ non sit verbis composita interna  
dispositione fallaciæ, sed præceptis euangeliorum ra-  
tionabiliter confirmata. Non Athanasii tantum nego-  
tium, sed multa alia in medium venerant, propter quæ  
Concilium fieri mansuetudinem tuam fueram depre-  
catus: vt ante omnia, quod specialiter optat mentis  
tuæ erga Deum sincera deuotio, cum fidei causa, in  
qua nobis prima spes est, ad Deum diligenter fuisset  
tractata: nec eorum qui nostram circa Deum obser-  
uantiam mirari debent, possent finiri.... & dignum fue-  
rat Dei cultore, dignum imperio tuo, quod Christi  
pietate regitur & augetur, specialiter hoc ipsum pro  
reuerentia sanctæ religionis, cui prudenter intentus  
es, clementiam tuam nobis ad hæc impetranda præ-  
stare.

<sup>b</sup> Sed multi ecclesiæ membra lacerare festinant, qui  
confinxerunt, me literas suppressisse, ne crimina eius,  
quem dicebant condemnasse, apud omnes paterent: quas  
illas literas episcoporum orientalium & Ægyptiorum,  
quibus in omnibus eadem in Athanasium crimina conti-

nebantur. \* At factis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos orientalium literas intimasse, legisse ecclesiam, legisse Concilio, atque ad hæc etiam orientalibus respondisse: qui fidem & sententiam non commodauimus nostram, quod eodem tempore septuaginta quinque episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat; quam similiter recitauimus atque insinuauimus episcopis Italis. Vnde contra diuinam legem visum est etiam, cum episcoporum numerus pro Athanasio maior existeret, in parte aliqua commodare consensum. Hæc scripta, si Deo fidem habet Theosebius\*, qui missus fuerat festinans in Africam, nobis reliquit. Quæ tamen post omnia scripta ne ad impetrandum forte Concilium deessent; Vincentius, qui cum ceteris legatus missus fuerat, Arelatum peruenit. Videt igitur prudentia tua nihil animum meum introisse, quod Deo seruientibus non dignum fuerat cogitare. Testis autem est mihi Deus, testis est tota cum suis membris ecclesia, me fide, & me in Deum meum cuncta mundana (ita vt euangelica & apostolica ratio præcipit) calcare atque calcasse, non furore temerario, sed constituto atque obseruato iure diuino: atque in alio ministerio ecclesiasticus viuens, nihil per iactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, impleui: atque ad istud officium (testis est mihi Deus) inuitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere: & nunquam mea statuta, sed apostolica, vt essent semper firmata & custodita, perfeci: secutus morem ordinemque maiorum, nihil addi episcopatu vrbs Romæ, nihil minui, passus sum: & illam fidem seruans, quæ per successionem tantorum episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres extiterunt, illibatam custodiri semper exopto: sed neque perire meam causam, pietati tuæ sollicitudo ecclesiastica atque ipsa deuotio persuadet.

Significant orientales paci se nostræ velle coniungi. Quæ est pax, clementissime imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor episcopi, Demophilus\*, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arii hæreticam sententiam noluisent damnare, de Concilio iratis animis exiere? Horum, si fas

Concil. Tom. 3.

R ij

Excusat se  
Liberius

\* Theo-  
badius.

\* Patro-  
philus.

Pacem iniri  
cum hære-  
ticis non  
posse.

est, sententiis, quale sit, aut quid habeat, commodare consensum, æquitas & clementia tua poterit æstimare. Non est nouum, quod non subtiliter, & sub occasione nominis Athanasii attentetur. Manent literæ Alexandri episcopi olim ad Siluestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significat, ante ordinationem Athanasii vndecim tam presbyteros quam etiam diacones, quod Arii hæresin sequerentur, se ecclesia eiecisse; ex quibus nunc quidam extra ecclesiam catholicam foris positi, dicuntur sibi Conciliabula inuenisse, quibus asseueratur etiam Georgius in Alexandria per literas communicare. Quæ ergo potest pax esse, tranquillissime imperator, si episcopi (vt nunc per Italiam factum est) cogantur talium sententiis obedire?

Arianorum  
perueritas.

Accipe & aliud, quia tranquillitas tua patienter admittit. Manent literæ legatorum, qui ad clementiam tuam fuerant destinati, quæ nuper venerunt: quibus significant, propter turbationem omnium ecclesiarum se quidem ante succumbere sententiis orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionem, si iidem Arii hæresin condemnassent, hoc genere se inclinatos eorum sententiis obedire. Placitum, vt ipsi significant, scriptura teste firmatur. Itur in Concilium: accipiunt cum deliberatione responsa, Arii doctrinam se damnare non posse: Athanasium, quod solum exigebant, communionem esse priuandum. Hinc iam clementia tua hoc quoque consideret, recte catholicæ religionis iure seruato, an hominis causa debeat diligenter excusseque tractari. Vnde iterum atque iterum mansuetudinem tuam, animum tuum Deo deditum rogo per eius virtutem, qui se in defensione tua, quantus sis, vniuersis mortalibus approbavit, habens ante oculos eius beneficia, qui imperium tuum in omnibus regit: hæc in coetu episcoporum diligenter faciat omnium cum consideratione \* tractari; vt pacatis per te, Deo fa-<sup>\* redant</sup> uente, temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutiantur, vt quæ fuerint iudicio sacerdotum Dei confirmata, cum constiterit omnes in expositione fidei, quæ inter tantos episcopos apud Nicæam, præsentem sanctæ memoriæ patre tuo, confirmata est, vniuersos consensisse, cum exemplo possent in posterum custodiri.

Vt ipse Saluator, qui super mentis tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expeditione lætetur, causam fidei & pacis etiam reipublicæ necessitatibus non immerito præposuisse. Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, vt beneuolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo & Hilario diacono placuit proficisci: quos credimus de clementia tua ad pacem omnium ecclesiarum catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare. Dei omnipotentis clementia te nobis custodiat, clementissime ac religiosissime imperator.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> *Epistola.* ] Postquam Liberius ea, quæ prioribus a se missis legatis ad Constantium imperatorem, Vincentio atque Marcello, Arelate contigerant, per literas ab ipsis acceptas audisset, secundam legationem ad ipsum mittere festinauit, anno Christi 354. pontificatus Liberii tertio. Legati autem ad tantum opus plane difficillimum delecti sunt Lucifer episcopus Calaritanus in Sardinia, qui Romam opportune his diebus aduenerat; quem fide integrum, constantia infractionem, zelo pietatis æstuantem Liberius cognouerat; Pancratius Romanæ ecclesiæ presbyter, & Hilarius eiusdem ecclesiæ diaconus, ei adiuncti fuerunt. Hi ad Constantium imperatorem, in Gallia tunc agentem, cum his literis a Romano pontifice ad eum scriptis, Eusebio Vercellensi episcopo comitante, ablegati, quando ad imperatorem venissent, vt Concilium vniuersale anno sequenti Mediolani celebraretur, obtinuerunt; eo sane tacito imperatoris consilio, vt omnes episcopos ad vnum locum cõuocatos, vno loco inclusos, ad subscribendum in Athanasium latæ sententiæ vi adhibita compellere posset. Quod quam infeliciter præstiterit, in notis eiusdem Conciliabuli dicemus infra.

Secunda legatio ad imperatorem cur, quando & quibus deman- data fuerit.

<sup>b</sup> *Sed multi ecclesiæ membra lacerare festinant.* ] Acta Concilii Romani sub initium pontificatus Liberii Romæ habiti insinuantur, de quibus infra prolixius.

<sup>c</sup> *Vincentius qui cum ceteris legatus missus fuerat.* ] prima nimirum legatione, quam Romanum Concilium fieri decreuerat. De qua vide quæ diximus in notis ad epistolam Liberii ad Osium: item in notis Romani Concilii, & Arelatensis Conciliabuli.

<sup>d</sup> *Ad istud officium ( testis est mihi Deus ) inuitus accessi.* ] declarat se inuitum Iulio pontifici defuncto, in pontificatu subrogatum fuisse.

<sup>e</sup> *Quæ est pax clementissime imperator, cum sint ex partibus istis quatuor episcopi, Demophilus, &c.* ] Suggillat illam Arianorum legationem, qua Semiariani per legatos hic nominatos, de se vulgatam Arianae hæreseos suspensionem ac maculam absterfuri, quamdam for-

Legatio Arianorum.

mulam fidei, in Antiocheno Conciliabulo in encæniis celebrato editam, occidentali ecclesiæ insinuarunt; quæ ipsi legati antea se catholicos esse iactantes, e Mediolanensi Concilio subito iratis animis recesserunt, quando orthodoxi episcopi illic congregati Arii sententias damnare vellent. Vide notas eiusdem Mediolanensis Concilii, anno 344. sub Iulio celebrati.

<sup>f</sup> *Manent lierelegatorum.*] Vincentii atque Marcelli, qui a Romano Concilio deputati, ea quæ sibi Arelate contigissent, Liberio per literas significarunt: quibus ille acceptis hanc secundam legationem cum hisce ad Constantium scriptis literis misit. Vide Baron. anno 354. num. 1.

EPISTOLA III. LIBERII PAPÆ  
AD EVSEBIVM VERCELLENSEM  
episcopum.

*Liberius fratri Eusebio.*

Exstat apud  
acta vitæ  
Eusebii e-  
piscopi Ver-  
cellensis.

**M**E, frater carissime, ad solatium vitæ præsentis erigit inuicta fides tua, qua secutus euangeliorum præcepta, nullo genere a confortio sedis apostolicæ discrepasti: quod credo non sine Dei impulsu, qui digno sibi in sacerdotio detinet, benevolentia compleffe. <sup>b</sup> Cum igitur post legationem Vincentius in illam ductus est simulationem, reliqui per Italiam episcopi publica conventionem coacti fuissent sententiis orientalium obedire: Deo procurante, frater & coepiscopus noster Lucifer de Sardinia superuenit. Qui cum latebras causæ interioris cognouisset, & peruenisset ad eius conscientiam, sub occasione nominis Athanasii, hæreticos hæc velle tentare: pro deuotione fidei suæ, subire voluit iustum laborem, & ad comitatum religiosi principis pergere: vt tandem, exposito ordine totius causæ, impetraret, vt omnia quæ in medium venerunt, in cœtu possent sacerdotum Dei tractari. Ideo, quia scio sanctum fidei tuæ calorem cum eius animo concordare, prudentiam tuam peto, vt si procurante Deo, habuerit te præsentem, per quoscumque potueris, sollicitè excubare contendas, vt possitis vniuersa, quæ fides catholica exigit, clementissimo imperatori insinuare: vt tandem aliquando, deposita animi indignatione, faciat quod & quieti nostræ & saluti tuæ possit in omnibus conuenire. Ex superfluo autem credidi, ordinatio-

nem causæ totius honorificentia tuæ literis insinuare, cum supra dictus frater meus, vel eius comites in præfenti possint omnia relatione sua referre. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime.

## NOTÆ.

\* *Epistola.*] Lucifero, Pancratio & Hilario in Galliam proficiscientibus, Liberius ad Eusebium has literas dedit, quibus illum rogavit, ut vna cum legatis apud imperatorem fidei patrocinium susciperet. Ad eundem eiusdem argumenti paulo post eas, quæ sequuntur, addidit; qua occasione, patet ex initio epistolæ. Eusebius his literis, legatisque (ut par erat) honorifice exceptis, vna cum illis ad Constantium imperatorem in Gallias profectus est; apud quem enixius agens, quidquid ea legatione petebatur, nempe ut celebraret Concilium, impetrauit. De quibus cum Liberius certior factus esset, de sedulo officio ecclesiæ impenso eum laudat, tertiamque quæ infra subiicitur, epistolam ad eundem scripsit. Ex archiuo Vercellensi cum actis eiusdem Eusebii editæ, mihi dignæ visæ fuerunt, quæ aliis eiusdem Liberii epistolis hoc loco adiungerentur.

Eusebius cum legatis ad imperatorem proficiscitur. Impetratur Concilium Mediolanense.

<sup>b</sup> *Cum igitur post legationem Vincentius.*] Quod Athanasius apologia ad Constantium ait, cum Vincentio & Fortunatiano ceteros occidentis episcopos per vim & contumelias ad damnandum Athanasium inductos fuisse, intelligendum est, sicut hac epistola scribitur, vere quidem id ab Arianis cogitatum ac tentatum fuisse, sed Liberium missa secunda legatione ad Constantium id impediuisse. Baron. anno 353. num. 18. & 19.

EPISTOLA IV. LIBERII PAPÆ  
AD EUSEBIUM VERCELLENSEM  
episcopum.

*Dilectissimo fratri Eusebio Liberius episcopus.*

\* Callepodio. **R**EMEANTE filio meo \* Callepio ad patriam suam, Extat apud acta Eusebii Vercell. Optimum credidi per hunc sanctitatem tuam salutare, domine frater carissime, orans Dei clementiam, ut saluus atque hilaris literas meas accipias. Sane quia scio inuictum animum tuum fideliter agere quæ Deus præcepit, commendo tibi fratrem & coepiscopum nostrum Luciferum, sed & carissimos filios meos Pancratium presbyterum, & Hilarium diaconum, qui pro statu ecclesiæ animo virili & virtute deifica, tempore tempestiuo aggressi sunt \* contra inimicos ecclesiæ, quos Deus spi-

\* pugna-  
re



ritu oris sui destruet. Scio enim feruentem spiritum Dei esse in te, vt simul cum iisdem aggrediaris, vt fides, qua ab apostolis tradita est ecclesie catholice, nullo modo irrumpi possit. Certe dignaris retinere, si leges publicae absentem non condemnant, vt eorum consortio iungat se fides tua, & similis, vbi fuerit, adsit sanctitas tua; vno colloquio, vno consilio id agatis, quod Deo & angelis eius placet, & ecclesie catholice expedit. Pro hoc labore premium caeleste, coronam immarcescibilem, hereditatem regni caelorum, Christus Dominus noster retribuat vobis. Salutamus omnes qui tecum Deo fideliter feruiunt. Salutate omnem clerum. Deus te incolu- mem custodiat, domine frater carissime.

EPISTOLA V. LIBERII PAPÆ  
AD EVSEBIUM VERCELLENSEM  
episcopum.

*Liberius episcopus dilectissimo fratri Eusebio.*

Habetur a-  
pud acta  
Eusebii.

SCIEBAM, domine frater carissime, quod spiritu Dei sferuens in causa fidei, qua nos potest Domino commendare, fratri & coepiscopo nostro Lucifero, & Pancratio compresbytero nostro, qui simul erat profectus cum filio meo Hilario diacono, fida dignareris solatia exhibere, nec te posse iis denegare, quos sciebas pro deuotione fidei suae tantum laboris itineris suscepisse. Magnum itaque leuamen animus meus ex lectione literarum tuarum accepit: imo causam ipsam in melius proficere posse, Deo fauente, quod fratres nostros deferere noluisti, iam iamque confido. Labora itaque vt bonus miles, qui premium aeternum imperatoris expectas: & virtutem animi, qua te scio mundi huius illecebras contempsisse, aduersus eos qui ecclesie quidem luce orbi sunt, praebere contende, habens vtpote contemptum vitae istius: veridicum te sacerdotem ostende, vt laborantibus vobis pro ecclesie statu, Concilium possit celebrari; vt omnia qua in praedicium fidei subtiliter e diuerso venientes machinati sunt, possint in melius

melius reformari. Hunc laborem, quem egregia fides tua melius nouit, æterna præmia comitantur: cui quemadmodum insistere debemus, etiam si exhortatio frigeret, feruens Spiritus sanctus, qui in te est, propter unitatem sanctæ ecclesiæ per momenta animum tuum stimulare ad maiora solatia. Etiam ad fratrem & coepiscopum nostrum Fortunatianum, quem sciebam neque personas hominum vereri, & futura magis præmia cogitare, literas erogavi; ut & ipse pro sinceritate pectoris, & pro fide, quam se scit etiam cum discrimine vitæ præsentis custodisse, etiam nunc vobiscum dignaretur excubare: quem quidem scio pro sanctitate pectoris sui indubitanter & consilio suo prudentiam vestram firmare, & si ita vobis placuerit, præsentiam suam in nullo dilectioni vestræ negare. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime.

EPISTOLA VI. LIBERII PAPÆ  
AD OMNES CONFESORES  
EXVLES.

QVAMVIS sub imagine pacis humani generis inimicus vehementer in membra ecclesiæ videbatur esse graliatus: vos tamen, acceptissimi in Domino sacerdotes, egregiæ & singularis fidei & hic probabiles Deo ostendit, & etiam ad futuram gloriam martyres designauit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mœrorem absentia vestra, & gaudium gloriæ? Prorsus inuenire non possum: nisi quod scio, hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me vobiscum in exilium esse detrusum. Denique me in ipsa nunc expectatione pendentem, quia consortio vestro dura necessitas interim distrahit, satis contristor. Optarem enim, fratres carissimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exempla gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuit hæc palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis illustrem gloriam veniretis.

Quæro igitur dilectionem vestram, ut me præsentem

Concil. Tom. 3.

Exstat in a-  
ctis Eusebii,  
& in bibl.  
Vaticana.

vobiscum esse credatis; vt intelligatis, dolere satis, quod sim interim a vestro consortio separatus. Quamquam denique fueritis gloriam consecuti, hinc magis scire potestis, quod qui in persecutione coronati sunt, solius persecutionis cruentos gladios sentire potuerunt: contra vos deuoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, victoriam de perfidis pertulistis: quorum quanto violentia in sæculo crescere potuit, tanto sanctis sacerdotibus præmia laudis inueniuntur conferre. Estote itaque de promissione cælesti securi. Et quia proximiores estis Deo effecti, orationibus me vestrum confacerdotem famulum Dei ad Dominum subleuate; vt superuenientes impetus, qui de die in diem cum annuntiantur, grauiora vulnera infigunt, tolerabiliter ferre possimus: vt inuiolata fide, saluo statu ecclesiæ catholice, præmia nobis Dominus dignetur afferre.

Et quia cupio quæ gesta sunt in ipsa<sup>a</sup> congregatione fidelius scire; obsecro sanctitatem vestram, vt vniuersa literis intimare dignemini, vt additamentum maius vel ipse animus, qui diuersis morbis, vel vires corporis ipsius, quæ iam extenuatæ sunt, de vestra exhortatione possint sentire.

## N O T A.

Liberius  
gratulatur  
exulantibus  
episcopis.  
Encyclica  
epistola hæc  
est.

<sup>a</sup> *Epistola.*] Hæc est illa epistola, quam post Luciferum, Pancratium, Hilarium, Dionysium Mediolanensem, Eusebium Vercellensem episcopum relegatos, & plagis cæfos, Liberius de confessionis gloria iisdem gratulatus conscripsit, rogans, vt se de singulis certiores faciant. Epistola hæc est encyclica, pluribus exemplaribus conscripta, & ad omnes confessores, diuersis in locis exulantes, transmissa. Nam apud acta Eusebii Vercellensis, ad ipsum Eusebium dumtaxat habetur inscripta: in codice autem Vaticano, inquit Baronius, cum ad ipsum, tum ad reliquos episcopos exules, Dionysium, Luciferum, & alios omnes data legitur. Vide Baron. prædicto anno, num. 35. & 37.

·EPISTOLA VII. LIBERII PAPÆ  
AD ORIENTALES EPISCOPOS.

*Dilectissimis fratribus & episcopis orientalibus  
Liberius salutem.*

**P**RO deifico timore sancta fides vestra Deo, cognita  
est hominibus bonæ voluntatis, sicut lex loquitur: *Iu-  
ste iudicate filii hominum.* Ego Athanasium non defendo:  
sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Iulius episco-  
pus decessor meus, verebar ne forte ab aliquo præuari-  
cator iudicaret. At vbi cognoui quando Deo placuit, iu-  
ste vos illum condemnasse; mox consensum meum com-  
modaui sententiis vestris: literas adhæcque super nomi-  
ne eius, id est, de damnatione ipsius, per fratrem no-  
strum Fortunatianum dedi perferendas ad imperatorem  
nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio, super  
quo statuta omnium vestrum a me cum sede apostolica  
suscipienda sunt; dico, me cum omnibus vobis & cum  
vniuersis episcopis orientalibus, seu per vniuersas pro-  
uincias pacem & vnitatem habere. Nam vt verius scia-  
tis, me veram fidem per hanc epistolam meam proloqui:  
Dominus meus & frater communis Demophilus, qui di-  
gnatus est pro sua benevolentia fidem veram & catho-  
licam exponere, quæ Sirmii a pluribus fratribus & coe-  
piscopis nostris tractata & expoliata & suscepta est; hanc  
ego libenti animo suscepi, in nullo contradicens. Sane pe-  
tendam credidi sanctitatem vestram, quia semper vide-  
tis in omnibus me vobis consentaneum esse: dignamini  
communi consilio ac studio elaborare, quatenus de exi-  
lio iam dimittar, & ad sedem, quæ mihi diuinitus credita  
est, reuertar.

Extat in  
collect.  
Crescon. &  
in biblioth.  
Vaticana.  
Psal. 57.

## NOTA.

<sup>a</sup> *Epistola.*] Hæc est vera illa & germana epistola Liberii, quam  
tædio exilii, mortisque metu turpiter & ignominiose superatus,  
post exactum biennium exilii, Felicemque in sede pontificia subro-  
gatum, scripsit ad orientales, significans se latam contra Athana-  
sium sententiam suo suffragio comprobare, Arianos ad communio-  
nem admittere, editamque Sirmii professionem fidei, velut catho-  
licam.

Hæc epi-  
stola Libe-  
rius cum A-  
rianis com-  
municat.

*Concil. Tom. 3.*

S ij

licam approbare. Hoc est quod inquit Athanasius epistola ad solitarios: *Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minusque mortis ad subscriptionem inductus est.* Hilarius ad Constantium. *Verristi deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc episcopum: & o te miserum, qui nescio utrum maiore impietate relegaueris, quam miseris.* Hieronym. in chronic. *Liberius tædio victus exilii, in hæreticam prauitatem subscribens, Romam quasi victor intrauit.* Ita ille, qui instar Samsonis valide aduersus impios Philisthæos ac strenue decertauerat, & usque adeo ipsos impetus fregerat imperatoris, atque Arianorum phalangas tolerantia exilii superasset, exciso nescio quo pacto ab eius vertice fortitudinis crine, hebetatoque profus robore pristino sacerdotalis constantiæ, exurgit imbellis, & turpiter aduersariis se quærentibus manus offert. Dalilam illam, inuidiam, humanæ laudis gloria compram, comam fortitudinis Samsoni fortissimo abscidisse, est verisimile. Ægre enim tulit, Felicem ab Arianis intrusum Romæ pontificem agere, dum ipse a propria sede magna cum miseria exularet.

Liberii epistola ad orientales apud Hilarium extans in fragmentis.

Sub nomine Liberii ad orientales episcopos initio pontificatus eiusdem scripta, apud Hilarium fragm. lib. 2. pag. 36. extans, hæc est, quæ sequitur.

*Dilectissimis fratribus & coepiscopis nostris vniuersis per orientem constitutis, Liberius vrbis Romæ episcopus, salutem.*

**S**TVDENS paci & concordiæ ecclesiarum, postquam literas caritatis vestræ de nomine Athanasii & ceterorum factas ad nomen Iulii bonæ memoriæ episcopi accepi, secutus traditionem maiorum, presbyteros vrbis Romæ Lucium, Paulum, & Ælianum, e latere meo Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret, ut in præsentem, id quod ecclesiæ disciplina exigit, in eum statueretur. Literas etiam ad eundem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quod si non veniret, sciret se alienum esse ab ecclesiæ Romanæ communionem. Reuersi ergo presbyteri nuntiauerunt eum venire noluisse. Secutus denique literas caritatis vestræ, quas de nomine dicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his literis, quas ad vniuersitatem nostram me cum omnibus vobis & cum vniuersis episcopis ecclesiæ catholicæ pacem habere, supradictum autem Athanasium alienum esse a communionem mea siue ecclesiæ Romanæ, & confortio literarum ecclesiasticarum.

Hæc epistola adulterina est, Liberioque pontifici falso adscripta; ea occasione, ne credatur, quod aiunt, Liberium vi coactum, Athanasii condemnationi consensisse; idque his rationibus probatur. Primo: Quisquis innocentem Athanasium a catholicorum communionem arceri, impios vero Arianos ad communionis vinculum admitti laudat, eum non catholicum, sed Arianum esse oportet. Cum itaque is, qui hanc epistolam fragmentis Hilarii inseruit, Athanasii condemnatoriam & excommunicatoriam sententiam laudet, nemo sapiens id ab Hilario factum fuisse credit. Secundo, testimonio Athanasii constat, Liberium vsque ad finem exilii, annum scilicet Christi 357. perseverasse constantem & fidelem: quomodo igitur initio pontificatus Athanasium innocentem condemnauerit, Arianisque communicauerit? Tertio, Liberius illa epistola, quam anno 354. per secundam legationem scripsit, ac misit ad Constantium, Athanasium defendit, Arianorumque communionem summopere detestatur: quæ sane ab ipso prudenter scribi non potuissent, si iam sedis suæ initio eum condemnasset. Accedit, quod hac ipsa sexta epistola ad orientales scripta fateatur, se, quod fecerat ante prædecessor Iulius, Athanasium vsque ad vltimum annum sui exilii semper defendisse. Commentum itaque esse oportet, Athanasium principio pontificatus Liberii communionem ecclesiæ catholicæ priuatam fuisse. Hæc Baron. prædicto loco.

Hanc epistolam Liberio falso adscribi probatur. 1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

\* ALTERA EPISTOLA FALSO  
SVB NOMINE LIBERII PAPÆ  
AD VRSACIVM, VALENTEM,  
ET GERMINIVM SCRIPTA.

Eorum interuentu liberari ab exilio, sedique pontificiæ restitui cupit.

*Vrsacio, Valenti & Germinio Liberius.*

QVIA scio vos filios pacis esse, diligere etiam concordiam & vnitatem ecclesiæ catholicæ; ideo non aliqua necessitate compulsus, teste Deo dico, sed pro bono pacis & concordiæ, quæ martyrio præponitur, his literis conuenio vos, domini mei carissimi. Cognoscat prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinæ ecclesiæ episcopus fuit, priusquam ad comitatum S. imperatoris peruenissem, secundum literas orientalium episcoporum ab ecclesiæ Romanæ communionem separatam esse, sicut testis est omne presbyterium ecclesiæ Romanæ. So-

Extat ex collect. Crescon. & bibli. Vaticana apud Baron. ann. 357. num.

44

la hæc causa fuit, vt tardius viderer de nomine ipsius literas ad fratres & coepiscopos nostros orientales dare, vt legati mei quos ab vrbe Roma ad comitatum direxeram, seu episcopi, qui fuerant deportati, & ipsi vna cum his (si fieri posset) de exilio reuocarentur. Et hoc etiam scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum petii, vt literas meas ad clementissimum imperatorem perferat, quas ad orientales episcopos feci, vt scirent & ipsi vna secum Athanasii communionem esse separatam: quas credo quod pietas ipsius pro bono pacis gratulanter accepit: quarum exemplar etiam Philagrio imperatoris eunuchus prodat caritas vestra, hæc me benigno & innocenti animo gessisse. Quapropter his literis meis conuenio vos, & adiuro per Dominum omnipotentem, & Christum Iesum Filium eius & Dominum nostrum, & Spiritum sanctum, vt dignemini ad clementissimum imperatorem Constantium Augustum pergere, & petere, vt bono pacis & concordie, in qua pietas eius semper exultat, me ad ecclesiam mihi diuinitus traditam iubeat reuerti; vt temporibus ipsius ecclesia Romana nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis episcopis ecclesie catholice pacem habere, his literis meis æquo & simplici animo scire debetis, fratres carissimi. Magnū etiam vobis præmium in die retributionis acquiretis, si per vos pax ecclesie Romanæ fuerit reddita. Scire autem volo etiam fratres & coepiscopos nostros Epictetum & Auxentium, pacem me & communionem ecclesiasticam cum ipsis habere, quod credo gratanter accepturos. Quicumque autem a pace & concordia nostra, quæ per orbem terrarum firmata est, dissenserit, sciat se separatam esse a nostra communionem. Præuaricatori anathema vna cum Arianis a me dictum.

## NOTA.

Epistola hæc Liberio falso ascripta cur.

<sup>a</sup> *Altera epistola.*] Cum ex notis supradictis, & in Concilio Mediolanensi infra dicendis, manifestum sit, Liberium iussu imperatoris Constantii eo fine Roma Mediolanum furtim ad comitatum adductum fuisse, vt Athanasii condemnatorie sententie subscriberet; inde vero in Thraciam relegatum, non aliam ob causam, quam quod innocentem suo iudicio Athanasium condemnare recusasset: falsissimum esse oportet, quod hic scribitur Athanasius

iudicio Romanæ ecclesiæ excommunicatus fuisse, antequam Liberius ad comitatum imperatoris peruenisset. Vna igitur, quod supra dixi, eademque manus scorpionis fuisse videtur, quæ vtramque hanc epistolam nomine Liberii scripsit & excogitavit, ea occasione, ut quod ad Liberii defensionem Athanasii, Hilarii & Hieronymi testimonio dicitur, cum per vim & minas coactum Athanasii condemnationi subscripsisset, mendacibus hisce & commentitiis sub nomine Liberii ab Ariano aliquo affectis epistolis improbaretur. Hæc ex Baron. anno 352. num. 18.

EPISTOLA VIII. LIBERII PAPÆ  
AD VINCENTIVM CAPVÆ EPISCOPVM,

*Qua Arianis communionem coniunctus, ab exilio  
liberari petit.*

**N**ON doceo, sed moneo sanctum animum tuum, frater, eo quod colloquia mala mores bonos corrumpant. Infidiæ malorum hominum bene tibi cognitæ sunt, vnde ad hunc laborem perueni: & ora ut det Dominus tolerantiam. Dilectissimus filius noster Urbicus diaconus, quem videbar habere solatium, a me per Venerium agentem in rebus sublatus est. Et ideo sanctitati tuæ significandum credidi, me de contentione illa nominis Athanasii recessisse, & ad fratres & coepiscopos nostros orientales literas dedisse desuper eius nomine. Pax nobis vbique est. Dignaberis conuenire omnes episcopos Campaniæ, & hæc illis insinuare, & ex eorum numero vna cum epistola vestra de vnanimitate nostra, & pace ad clementissimum imperatorem nostrum scribere, quo possim & ego de tristitia magna liberari. Dominus te incolumem custodiat, domine frater carissime. Cum omnibus episcopis orientalibus pacem habemus, & vobiscum ego. Me ad Dominum solui, vos videritis, si voveritis me in exilio deficere, Dominus iudex inter me & vos.

Extat ex  
collect.  
Cresco. &  
Vatica. bi-  
blioth. a-  
pud Baron.  
anno 357.  
num. 45.

Subscripti  
& appen-  
dix.



EPISTOLA IX. LIBERII PAPÆ  
AD EPISCOPOS ITALIÆ.

*Liberius episcopis catholicis in Italia consistentibus, in Domino  
æternam salutem.*

Exat apud  
Hilarii frag.  
lib. 1. pag.  
37. & 38.

**I**MPERITIÆ culpam oblitterat resipiscens. Hoc autem & de scripturis sanctis advertere est. Pietatem ad omnia vtilem esse legimus, cui cedit corporalis exercitatio, quãuis & ipsa vtilitatis retineat fructus, quam sectandam nobis etiam ratio temporis præsentis exposcit. Non enim si aliqui forte qui hoc studii gerunt, ratione prouisam destruere imprudenter sæuiori censura hoc æstimauerint, & non a re, quod iam ex apostolica auctoritate munitum est \* de pietate cum dictum est, non esse parcendũ his qui apud Arianum ignorantes egerunt, quibus nescire illicitum fuit captum errori incidere \*, idcirco veritas rependanda est. Sed mihi cui conuenit omnia moderate perpendere, maxime cum & Ægyptii omnes & Achiui accusati sententiam receperunt, multis parcendum quidem his, de quibus supra tractauimus: auctores vero esse damnandos, qui obliqua & maligna subtilitate & caligine offenderunt innocentium sensus, per quæ velamen obducerent veritati, tenebras lucem, & lucem tenebras venditantes.

Igitur si quis ignorationis captum \* resipiscens sermonis nostræ aduocationis breuissima, illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac tenebrosum fuerit expertus, reparatus exhauriat, condemnet, vehementiusque in auctores eius infæuiat, quos in se violentos expertus est, totumque se fidei apostolicæ & catholicæ vsq; ad Nicænæ Synodi Conuentum de integro mancipet. Per quam professionem, etiamsi quibusdam leue & remissum videtur, recuperet id quod per astutiam recitatis amiserat. Verum si aliquis tam stolidæ mentis (quod haud credo) fuerit inuentus, qui non solum nolit conuertere, antidotum recipiens sanitatis, venenum virusque noxius sese \* vindicare crediderat, & ratione vincetur, & auctori perfidiæ perditæ deputatus, ecclesiæ catholicæ spiritali vigore plectetur.

NOTA.

## NOTA.

Liberius Ariminense naufragium reparare sollicitus, primus indulgentiæ vexillum erexit, ne, qui Arianorum fraudibus circumuenti, Nicææ confessionem deseruisse visi fuerant, extra ecclesiam diutius vagantes, lupis interea præda fierent. Primum quidem iis, qui in Italia lapsi fuerant, subueniendum esse putauit. Orientali autem ecclesiæ per Eusebium Vercellensem & Luciferum Calaritanum episcopos, ibidem exulantes, ita prouidit, ut iis apostolicæ sedis legatione commissa, potestatem dederit ea agendi, quæ pro temporis & loci conditione expedire iudicarent.

Liberius indulgentiæ vexillum primus erigit.

EPISTOLÆ X. LIBERII PAPÆ  
COMMUNICATORIÆ  
FRAGMENTVM AD ATHANASIVM.

EST igitur nostra confessio, optatissime Athanasi, Verbum, Dei filium, secundum naturam ex Deo, eodemque patre suo genitum esse, non creatum, semper in imperio collegam Deo & Patri, & indefinenter regnum obtinere in infinita sæcula, amen. Spiritum quoque sanctum vere ex Deo naturaliter Deum, indiuisibilem a Deo, secundum diuinas scripturas; ut sit vere Pater, vere Filius, & vere Spiritus sanctus: neque transferri debere vnumquodque nomen a suo significato, cui assignatum est, quo vera sit Trinitas sub vna deitate, sub vna potestate, & vna substantia: non enim dispertitur Filius, aut Spiritus sanctus a Patris substantia, quæ implet cælum & terram. Est igitur Trinitas (ut dixi) in vna substantia non diuisa, sed per essentiam vna, deitate vna, potentia vna, & regno vna, vna quoque gloria, vna item imagine, vna denique spiritu: Spiritus enim non diuiditur. Anathema igitur dices Sabellii & Arii dogmata, & supra annotatas hæreses, ad æternam pœnam, secundum Saluatoris vocem. Huic igitur confessioni, frater Athanasi, quæ vera fides in sancta catholica & apostolica ecclesia censetur, si mecum sentis, coram iudice Deo & Christo, quæso, subscribas; quo certiores reddamur, num eiusdem nobiscum suffragii sis, eademque statuas de vera fide; ut ego & securior efficiar, tuaque mandata inhæsitanter obeam. Id quoque tibi cognitum velim, carissime, filios veritatis confiteri, impassibilem esse deitatem, & de aduentu

Extat apud Athanasium post literas apud Epictetum. Liberii fidei confessio.

Concil. Tom. 3.

T

Verbi & Dei in carne ita sentire: verbum scilicet genitum ex Patre Deo hominem perfectum absque peccato assumpsisse ex Maria Virgine, secundum euangelia in Christo Iesu, Amen.

## NOTA.

Liberius cur  
& quando  
hanc episto-  
lam ad A-  
thanasium  
scripserit.

Liberius ut eam, quam inita cum Arianis cōmunionē incurrerat, hæreseos suspicionem elueret, hanc epistolam communicatoriam, (qua fidem catholicam & orthodoxam profiteretur) ad Athanasium, a quinquennialibus latebris sub Iulio Alexandriam reuersum, scripsit, similes vicissim ab Athanasio post tot annorum latebras & exilium expectans. Hanc epistolam a Liberio post Athanasii reditum scriptam fuisse, titulus epistolæ illius, quam Athanasius Liberio reddidit, manifeste indicat: sic enim habet: *Athanasii rescriptum ad Liberium episcopum Romanum*. Si ea, quam reddidit, rescriptum est, scriptas ante a Liberio accepisse oportuit.

Liberius ve-  
xillum fidei,  
lapsu suo  
ante labefa-  
ctatum, in-  
tegrum de-  
nuo erigit.

Fragmentum huius epistolæ manifeste satis declarat, Liberium ab exilio reuersum, sedique apostolicæ restitutum, post obitum Felicis, abiecta procul Arianorum communicatione, se in omnibus bene catholicum exhibuisse, fideique orthodoxæ vexillum Arianorum ictibus labefactatum, integerrimum vicissim ac purissimum erexisse, & Ariminensem perfidiam reprobando, ab omni labe ac macula expurgasse.

## EPISTOLA XI. LIBERII PAPÆ AD ORIENTALES.

*Dilectis fratribus & collegis \* Hypatio, Cyrillo, \* Hyparchio, \* Hypat-  
Vranio, Heroni, Elpidio, Maximo, Eusebio, Eucarpio, Heor-  
tasio, Seuero, Didymioni, Brettanio, Callicrati, Dalmatio,  
Aedesio, Eustachio, Ambrosio, Gelonio, Pardalio, Macedonio,  
Paulo, Marcello, Heraclio, Alexandro, Adolio, Marciano,  
Stenello, Ioanni, \* Macario, Charisio, Siluanio, Photino, An- \* Macar-  
tonio, Ayto, Celso, Euphranori, Meletio, Patricio, Seueriano,  
Eusebio, Eumolpio, Athanasio, Diophanto, Menodoro, Dio-  
cli, Chrysampelo, Neoni, Eugenio, Eustachio, Callicrati, Ar-  
senio, Eugenio, Martyrio, Hieracio, Leontio, Philagrio, Lucio,  
& in omnibus oriente orthodoxis episcopis, Liberius episcopus,  
Italiae, & alii occidentis episcopi, in Domino semper salutem.*

**V**ESTRÆ literæ, fratres dilecti, lumineq; fidei illustrati, de pace & concordia ecclesiæ per honoratissimos fratres & episcopos Eustathium, Siluanum, Theophilum

ad nos perlata, nobis maximam maximeque optatam lætitiā attulerunt. Id adeo in primis, quod vestras sententias & opiniones, tum cum mea, qui infimus omnium sum, tum cum aliorum episcoporum Italiae, ceterarumque omnium regionum versus occidentem, sententiis consentire concordareque ostenderunt, atque adeo confirmarunt. Hanc autem catholicam & apostolicam fidem agnoscimus, quæ usque a Concilio Nicæno hætenus integra stabilisque permansit. Hanc illi ipsi patres se habuisse confessi sunt, atque adeo mira alacritate & gaudio completi, omnia absurda opinionis vestigia, omnesque eius quasi scintillas relictas sustulerunt. Hancque fidem non solum apud populum concionando, verum etiam sedulo scribendo, omnibus proposuerunt. Cuius quidem exemplar his literis necessario subiungendum duximus, ne qua hæreticis ad insidias tendendas relicta sit occasio: quam quidem nacti, de integro faces suæ malevolentiae in ecclesiam intentent, magnaue dissidiorum incendia (vt illis in more positum est) exfuscitent. Nam & hoc ipsum confitentur honoratissimi fratres nostri Eustathius, Siluanus, & Theophilus: nimirum & seipso & vestram caritatem semper hanc fidem seruasse, & ad extremum vitæ diem seruaturos esse; videlicet quæ fuerit a trecentis decem & octo episcopis orthodoxis in vrbe Nicæa probata, quæque & perfectam complectatur veritatem, & hæreticorum multitudini ora obturet, eorumque doctrinam penitus euertat. Neque enim tam ingens episcoporum numerus fortuito, sed Dei nutu & voluntate ad furorem Arii comprimendum coactus est. Immo vero eorum numero beatus Abraham tot hominum millia per fidem profligauit. Quæ quidem fides vi & nomine *consubstantialis* comprehensa, tamquam propugnaculum firmum & inexpugnabile, omnes impetus & nefarias pestiferæ opinionis Arii machinas retundit reprimique.

Et quamquam nequam & scelerati Ariani effecere, vt omnes episcopi occidentis Arimini in vnum cogerentur, Quid gestū in Concilio Ariminenſi. quo ibi vel persuasione, vel (vti verius dicam) imperatoris auctoritate, illud quod erat ad summam cautionem in fidei formula positum, aut tollerent, aut peruerse

inficiarentur : nihil hac fraudulenta molitione omnino profecerunt. Nam omnes illi fere episcopi, qui Arimini conuenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, a fide tum quidem desciuerant; nunc tamen ad sanam mentem reuersi, fidei formulæ ab episcopis Arimini conuocatis editæ anathema denuntiarunt, & fidei catholicæ & apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum iam vna communicant: omnes illi, inquam, in præsentia maximo iracundiæ æstu contra dogma Arii eiusque discipulos exardescunt. Quam rem vestræ caritatis legati cum explorata cognitam planeque perspectam haberent, suæ ipsorum subscriptioni vestra etiam nomina adiungere. Ario autem & decretis Arimini contra fidem Nicææ stabilitam sancitis ( quibus item vos per versutas blanditias in fraudem inducti cum iureiurando adhibito subscripsistis ) anathema edixere.

Concors si-  
des catholi-  
ca occiden-  
tialium.

Quapropter nobis videbatur consentaneum, literas ad vestram caritatem perscribere, vobisque iusta & æqua petentibus opem ferre: præsertim cum per confessionem vestrorum legatorum perspicue intelligeremus, episcopos orientis ad sanam sinceramque mentem reuersos, cum orthodoxis occidentis episcopis in fide concordare. Neque vos ignorare volumus, & blasphemias Arimini contra Filium Dei diuulgatas, iam etiam ab his, qui tum videbantur fraudulenter & repentino impetu a veritate tamquam abrepti, anathemate damnari, & fidei Concilii Nicæni concordii animorum voluntate ab omnibus assensum esse. Quin etiam per vestras literas omnes certiores fieri debent, vt qui per fraudem a recta fide abducti fuerint, iam tandem ex cæca hæresis caligine ad clarum diuinumque lumen libertatis catholicæ regrediantur. Qui quidem si post hoc Concilium lethale pestilentis doctrinæ venenum euomere \* voluerint, omnesque Arii blasphemias ex animis suis radicitus euellere, atque adeo illis anathema indicere: scient se pariter cum Ario & eius discipulis, cum aliis serpentibus, vt pote Sabellianis, Patropassianis, & alterius hæreticæ prauitatis cuiuscumque modi sectatoribus, a communione ecclesiæ, quæ filios adulterinos non recipit, tamquam fœderis & societatis

\* for. no-  
luerint.

expertes omnino exclusos esse. Deus vos, fratres carissimi, diu seruet incolumes.

## NOTA.

Hæc est illa pacifica & communicatoria Liberii pontificis epistola, qua Semiarianorum legati Eustathius & Theophilus, simulata fide, oblatoque Nicænæ confessionis libello, Romani pontificis, omniumque prope occidentalium episcoporum communionem impetrarunt: quæ in Tyanensi Concilio ostensa, Eustathius Sebastenus sedem episcopalem, unde deiectus fuerat, opera orthodoxorum recepit. Sed quia auctoritate Basiliæ, ut diximus in notis Tyanensis Concilii, aperte constat, hæc omnia ab ipsis simulate peracta fuisse, ipsumque Eustathium postea turpius lapsum esse: Liberius omnesque occidentales episcopi, eiusmodi nebulones alias sæpe damnatos, communioni catholicæ restituentes, facilitatis nimie iure meritoque redargui fortasse possent, si intima cordis scrutari, seque ipsos a subreptione securos reddere potuissent.

Semiarianorum legati simulata Romani pontificis, & occidentalium communionem impetrant.

EPISTOLA XII. LIBERII PAPÆ  
AD OMNES GENERALITER  
episcopos.

Vt nullus pro persecutionibus, dum durare potest, suam relinquat ecclesiam, nec quietem magis eligat, quam pro populo sibi commisso laborare intendat.

*Dominis sanctissimis & Deo amantiſſimis vniuersis episcopis,  
Liberius episcopus, in Domino salutem.*

**N**IHIL est quod nos diu stare faciet, nisi Dei gratia. Ceterum nequitia diaboli, contemptibile malum, plenum veneno mortifero sæuit, qui sursum atque deorsum circuit, quærens quem deuoret. Unde vigilare, & sobrii esse ad orationes, & Deo propinquare debemus, & fatuas, Domino auxiliante, hominum infidias, prout Dominus posse dederit, respicere, & patres sequi, & non transgredi terminos patrum, (id est, ut non relinquamus nostras, dum in eis persistere aliquo modo valebimus, ecclesias, ut ad alias properemus) aut populos nobis commissos negligere, ut quietem amplius quam pro eis elaborare, pro quibus etiam animas ponere debemus, studeamus, ne reprobis in conspectu Dei inueniamur, sed fructuosos illi manipu-

1. Pet. c. 5.  
v. 8.

\* fer.  
quiesce-  
re.

los de commissis nobis gregibus, ipso adminiculante, præsentare valeamus: quamquam multi nos persequantur, & oves Christi dilacerare desiderent, qui quasi in vestibus ouium apparent, intus autem sunt lupi rapaces, quos ex fructibus cognoscimus: isti primo quidem videntur ex nobis esse, sed non sunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quando vero suam euomuerint impietatem, dolum qui in eis est, erumpentes, & apprehendentes infirmiores, & eos qui ad eloquia diuina sensus inexercitados habent, secum eos contrahunt ad perditionem, subuertentes & iniuriantes paternas doctrinas, sicut & sacras scripturas, ad perditionem suam, quos oportet præscienter cauere, ne malitia eorum quidam seducti, abscindantur a propria firmitate: *Exacuunt enim linguas suas, iuxta Prophetæ vocem, sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.* Nec nos pigeat per temporales cruciatus pro Christi nomine elaborare, sed emolumenta futuræ remunerationis, huius sæculi vexationes tolerare persuadeant. Scriptum namque est: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Tantum enim a nobis exigitur, quantum possumus famulatus nostri obsequio commodare. Vnde quidem tantum nos necesse est importunis prædicationibus insistere, quanto nobis perfectæ negotiationis creditur duplicata talentorum assignatio, atque dominicæ vocis, ad suscipiendam eius requiem, persuadet assertio. Suggestum namque nobis est, quod pro præteritis laboribus & infestationibus nonnulli vestrum assignatas sibi met, & a Deo commissas relinquunt plebes, & in futuro plures relinquere velint eas, quas tueri debent, ecclesias, & pro ouibus sibi commissis laborare negligant, & monasteriorum se quieti contradere festinent, & vacationem ab episcopatus laboribus eligere, & silentio atque otio vitam degere magis appetant, quam in his, quæ sibi commissæ sunt, permanere, dicente Domino: *Beatus qui perseuerauerit usque in finem.* Vnde namque est beata perseuerantia, nisi de virtute patientiæ? Quoniam, secundum Apostolicam prædicationem, *omnes qui voluerint in Christo pie viuere, persecutionem patiuntur.* Ideoque, fratres carissimi, non vos

*Psal. 139.*

*Psal. 115.*

*7. qu. 1.  
Suggestum  
est nobis.*

*Mat. 10. &  
24.*

*1. Tim. 3.*

afflictionum amaritudo a pio mentis vestræ proposito contractet recedere. Considerate namque, quanta pro absolutione nostri & liberatione creator, Dominusque & redemptor noster pertulerit, quibusve se contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis potestatis diabolicæ liberaret. *Attendite itaque vobis & omni gregi, in quo vos* Act. 20.  
*Spiritus sanctus constituit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit proprio sanguine; ut non sit, qui vos decipiat aut seducat in subtilitate sermonis, ut plebes vobis commissas relinquantis, & alicui, propter malorum opprobrium hominum, quieti vos tradatis, & ut vos solummodo saluetis, & filios orphanos relinquantis. Apertissime enim Spiritus sanctus per Apostolum dicit, quia in nouissimis temporibus* 1. Tim. 4.  
*recedent quidam a fide & caritate, attendentes spiritibus seductori- bus, & doctrinis demoniorum, & in hypocrisi mendacii eloquiorum cauteriatam habentes suam conscientiam. Propter quod, vigila- te & orate, ut non intretis in tentationem. Quæ vero mentis transgressio operatur in his, qui non crediderint sermonibus Domini, & recesserint pro sua quiete a seruitio sibi commisso, & suis se subdiderint voluptatibus? Talibus quippe & aliis pro populo Dei constricti necessitatibus, ne pereatis vna cum omnibus vobis commissis, sed salui sitis in die æternæ retributionis, hortamur vestram caritatem, exemplo eius qui pro nobis pati voluit, promptos vos in cunctis eius permanere seruitiis, nec quidem quoquo modo a commissa cura recedere, sed totis viribus in commissis vobis negotiis fortiter vsque in finem perdurare: quoniam beatus est, qui perseverauerit vsque in finem:* Matth. 10.  
*nec laudatur initium, sed finis. Nemo vos seducat in anibus verbis. Propterea enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Nolite ergo effici participes eorum dogmatum, neque communicetis infructuosis verbis illorum, magis autem redarguite: quoniam cætus præuicatorum sunt, & extende- runt linguam suam quasi arcum mendacii, & non veritatis. Com- pletum est in eis, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam suam persecutores ecclesiarum, earumque sacerdotum, loqui mendacium. Ut impie agerent, laborauerunt, & renuerunt scire me, dicit Dominus. State ergo vos, dilectissimi, super vias, & videte. Interrogate de semitis Domini*



antiquis, & videte, quæ est via bona sanctorum patrum, & ambulate in ea; & inuenietis requiem animabus vestris. *1. Petr. 3.* Sed & si patimini propter Christum, beati eritis. Metum autem eorum ne timueritis, neque conturbemini. Dominum autem Deum sanctificate in cordibus vestris, ipso dicente: *Matth. 10.* Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeressæ esse ueneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. *Heb. 12.* Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis uos. Rememoramini ergo, fratres, eum, qui talem sustinuit a peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis uestris, deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem \* certauimus, aduersus peccatum repugnantes. \* certauimus,   
 sicut,

Confidimus autem de uobis, fratres carissimi, meliora & uiciniora salutis, quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, magistro gentium docente, poterit nos separare a caritate Domini nostri Iesu Christi, & quæ in ipso est, recta fide. *Heb. 10.* Nolite itaque amittere confidentiam uestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est ad colluctationes aduersariorum, quatenus fidem intemeratam usque in finem conseruantes, repromissionem percipiamus, quam repromisit his, qui legitime certare deproperant. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui uenturus est, ueniet, & non tardabit. Ecce enim iudex ante ianuam assistit, coronas hilariter promittens his, qui pro eo passionibus submituntur. Quod si subtraxerit se quis, non placebit animæ *Iacob. 5.* \* suæ, sed cadet de promissione propter negationem. Nos autem non \* met, sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Propter quod assumite arma Dei, ut possitis resistere in die malo, aduersus omnes inimicos sanctæ Dei ecclesiæ & uestros: & induite uos loricam iustitiæ, calceati pedes in preparationem euangelii pacis, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo positis omnia iacula nequissimi \* ignita extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est uerbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem radicati & fundati in solatio fratrum pro Christo Iesu Domino nostro. Sed & nunc, fratres, commendamus uos omnes Domino, & uerbo gratiæ eius, qui \* ignita   
 potest

*Act. 10.**Eph. 6.**Iacob. 5.**Heb. 10.**Rom. 8.*

potest perficere, & dare hereditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem Deus pacis & consolationis det vobis id ipsum sapere in alterutrum, ut vobis inuicem succurratis, & non sitis diuisi, ut unanimes uno ore & \* uno corde honorificemus eum in concordiam & Rom. 16. consolationem fratrum, qui potest confirmare nos secundum euangelium eius, iuxta reuelationem mysterii æterni, temporibus scilicet perpetuis taciti, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summopere etiam considerare debetis, quod hi qui fratribus inuident, eosque damnare aut perdere cupiunt, per se sua dogmata destruunt. Dicit enim Dominus: *Omne regnum in se diuisum, non stabit: & omnis scientia & lex aduersum se diuisa, non stabit.* Mat. 12. Ideoque necesse est, ut concorditer salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes, diuinis & apostolicis constitutionibus pareatis, & in nullo patiamini prouidentissima Canonum decreta violari, quatenus & Nicænorum Canonum constituta, & quæ a nobis vel a prædecessoribus nostris sunt prouide & salubriter decreta, intemerata permaneant in futuro.

EPISTOLA ATHANASII  
ET ÆGYPTIORVM EPISCOPORVM,  
AD PAPAM LIBERIVM.

De oppressiõibus Arianorum.

*Domino beatissimo & honorabili, sancto patri Liberio papæ,  
Athanasius & vniuersi Ægyptiorum episcopi, in unum  
synodice apud Alexandriam congregati.*

**V**ESTRÆ beatissimæ paternitatis iura penes Deum sunt manifesta, dum prædicationibus scilicet apostolicis & doctrinis, veræ fidei cultura, vniuersa repleta sit terra. Per diuinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superædificatur orthodoxa Christi ecclesia, apostolica institutione fundata, & a fidelibus patribus firmissime roborata: ad quam omnes beatissimi apostoli pari honoris & potestatis consortio præditi, populorum agmina conuertent-

*Concil. Tom. 3.*

V

res, pie sancteque de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam homines diuinæ prædestinationis gratia præscitos, salutaribus præceptis ac monitis perduxerunt. Quorum sanctorum apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens merita, & perfectius implens exempla, ecclesiam Dei morum probitate & actuum sanctitate condecorat, & fide sacra Christianisque moribus vigens, quæ fieri Deo placita præcipit, studiis pontificalibus indefinenter operatur & perficit, seruans legis diuinæ mandata; quia *non legis auditores iusti sunt apud Deum*, sicut narrat Apostolus, *sed factores legis iustificabuntur*. Nos enim hæc meditari cupientes, & ea quæ a sancta sede vestra apostolorum, eorumque successorum prædicatione suscepimus, atque quæ in Nicæna Synodo roborata cognouimus, prædicare, & Arianorum blasphemias, atque aliorum hæreticorum, repellere cupientes, quotidie ab his persequimur, & damnationi tradimur, atque morti destinamur. Qua de re precamur, vt vestris exhortationibus tam per vos, quam & per apocrifarios vestros adiuuemur; ne, dum illi crescunt, & nos minuiuntur, vera fides destruat, & eorum hæresis ultra fidem nostram crescat: quoniam timemus, vt *postquam abundauerit iniquitas, refrigescat caritas multorum*. Pro qua re, multa vestræ sacræ doctrinæ tam apud Deum, quam apud cunctos fideles merces & laus reposita est, si vestra hæc refecerentur auctoritate. Nostram enim fidem, quam a sanctis patribus accepimus, & tenemus, atque docemus, subter inferuimus, vt si aliquis vobis aliter nos credere, aut docere, aut accusando, aut mussitando retulerit, vel detrahendo, scriptis mandauerit, per hanc manifeste nos ita credere & docere agnoscatis.

Credimus namque in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilibus, nec non & inuisibilibus factorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei, natum ex patre, vnigenitum, hoc est, ex substantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non creatum, homouision, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt cælestia & terrestria. Qui propter nos homines & pro-

Rom. 2.

Mat. 24.

tabico  
4

pter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est, & homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die: ascendit in cælum, venturus inde iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, Erat tempus, quando non erat, & priusquam nasceretur, non erat, & quia ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse trepton, hoc est, conuertibilem atque mutabilem filium Dei, hos anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Hanc venerabilem fidem trecenti quidem decem & octo patres agnouerunt & amplexi sunt, & consonantes & vnanimes scriptis explanauerunt.

Sed modo, quoniam contra hæc, vt nostis, talia exurgunt, qualia non debent, venite, & nos, dilectissimi fratres, cum Deo descendamus ad visitationem, id est, inquisitionem sermonum eorum, & confundamus per approbationem verissimam ibidem linguas eorum, eleuatas contra scientiam vnigeniti filii Dei, & iniquitatem in altitudinem humanitatis eius loquentes. *Disrumpamus vincula eorum* per gladium spirituale, quod est verbum Dei, & *proiiciamus a nobis iugum ipsorum*, per expugnationem profani sensus illorum. Tunc enim ipse quoq; Dominus *irridebit eos, & subsannabit: & tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*, secundum B. Ieremiam, dicens: *Falso prophetæ isti vaticinantur in nomine meo. Non enim misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis. Ideo hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo mendacium: Erunt proiecti in viis Ierusalem, & conculcatio omnium pie consentientium me, & non erit qui sepeliet eos. Nemo enim se abscondere potest quibusdam subreptionibus commentitiis, sicuti nec foliis fici antiquus transgressor præcepti Adam potuit, qui per propriam linguam inuerecunde nudatur. Laqueus enim fortis viro, labia eius: & captus propriis sermonibus, & opere manuum eius: retributio autem labiorum eius dabitur ei, & impietatis reprehensio. Arguam te, inquit, & statuam contra faciem tuam. Existimasti inique, quod essem tibi similis. Propterea, sicut dicit Dominus ad Gedeon, deponamus eos ad aquam veræ discretionis, & probemus eos ibi regulari examinatione, in id ipsum pronos corruen-*

Psal. 72.

Psal. 2.

Eph. 6.

Psal. 2.

Jer. 14.

Gen. 3.

Prou. 6.

Psal. 49.

Iudic. 7.

\*abscondi

Concil. Tom. 3.

V ij

*tes*, per ostensionem prau intellectus eorū, vtrumne sint apud se sapientes, diuini verbi scientiam ignorantes; quoniam *dicentes esse se sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam catholicæ ecclesiæ propria nouitate & voluntate, siue per ea, quæ illicite in eius defensione gesta sunt, hæreticam turbulentiam introducentes, illud competenter ad nos retinentes, quod bene ad Iesum filium Sirach dictum est:*

*Usq; ad mortem certa pro veritate, & Dominus Deus pugnabit pro te.* Huius rei gratia, vniuersalis vobis a Christo Iesu commissa est ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis: quia *dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Ideoque tanta urgente necessitate, summopere cōprimite vestra summa auctoritate infestos, releuate oppressos, vt absq; graui, Domino opitulante, difficultate ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur illæsi. *Et subscriptio: Æterna te seruet diuinitas per multos annos, sanctissime patrū pater. amen.*

EPISTOLA XIII. LIBERII PAPÆ  
AD ATHANASIVM ET EPISCOPOS  
ÆGYPTIOS RESPONSORIA.

Contra perturbatores pacis & quietis ecclesiarum, & tales qualiter puniendi.

*Dilectissimo filio Athanasio, & omnibus in vnum congregatis, & de Trinitatis fide recte sentientibus Ægyptiorum episcopis, Liberius papa.*

**O**LIM & ab initio tantā percepimus a B. Petro apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali ecclesia, ad rectam defendendā fidem, quatenus nulli liceat statum sanctæ ecclesiæ cōmouere, ad læsionem recte credentium, absq; sui periculo honoris. Epistolam siquidem vestram, nobisq; directam, ante nos recitari fecimus, tribulationes & persecutiones, quas pro recta fide patimini, intelleximus. Super quibus & nos vna vobiscum cōdolemus, & laborare pro vobis, vt pater pro filiis, parati sumus. Fidem vero Nicæni Concilii in eadem epistola rectam reperimus, super qua & Deo gratias vberimas retulimus, pro qua non solummodo persecutiones & passiones sustinere vobiscum parati sumus, sed etiam si necesse fuerit, mori pro Christi nomine, inquantū nostra finit fragilitas, non respuimus. Igitur prædictum sanctum

Concilium, ut legimus, definit Nicænum, aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere vel componere, aut sapere vel docere aliter, nec quidquam in fide sentire, aut proferre, quod his patrū regulis possit obuiare. Qui autem præsumpserit componere aliam fidem aut proferre, docere vel tradere aliud symbolum, ad viam veritatis conuerti desiderantibus de quacumq; hæresi, vel ex Iudæis, vel ex paganis Christianos se fieri volentibus, hi si episcopi fuerint, aut clerici, alienari quidem episcopos ab episcopatu, clericos a clero: si vero monachi, aut laici fuerint, anathemate feriri. Protestatur etenim beatus Apostolus, dicens: *Si quis certat, non coronatur, nisi legitime certauerit.* Et iterum Dominus ait: *Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.* Videlicet, certaminibus sacris propositis nobis, pro defensione catholicæ ecclesiæ, magna; salute ex hoc sperata ab omnium bonorum datore Deo, non deficient manus nostræ, dilectissimi fratres, per occasionem cuiuslibet desidiæ, dissolutæ: sed fortes efficiamur per gratiā Domini atq; virtutem potētis eius, *quoniam perfecit pedes nostros tamquam ceruorum,* & super excelsā firmius statuit intellectum summæ eius humanitatis propter nostram salutē, maxime tantam habentes impositā sanctorum testium nubem. *Deponentes ergo omne pondus & circumstantem aduersariorū nouitatem, per patientiā curramus, aspicientes in auctore fidei & consummatorē Iesum,* qui in proposito nobis propter eum negotio, spiritum nobis suæ veritatis condonet, loquentem in nobis, atq; perhibentem magnalia fidei per doctrinā sanctorum patrum, quos aduersarii calumniantur quotidie. In prophetis namq; habetur: *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, & saluator eius ut lampas accendatur.* Profecto catholica ecclesia, quæ vera consistit Sion, & ciuitas Christi cælorū regis, per tot annorum spatia expugnata ab auersantibus verba fidei, qui neq; Deum timent, neque hominem reuerētur, sed incassum perducentibus pias & canonicas de hoc verbo doctrinas, dum a diuersis tantisque, scripto & sine scripto, contestationibus inuitati fuissent corrigere propriā & a se pellere hæresim, sicuti & per anteriorē cognitionem luculentius demonstratum est, tam per libellos, quam per suggestiones reuerendissimorum sacerdotum, & venera-

*Tit. 3.* bilium abbatum, Apostolo protestante nobis, vt *hominem*  
*hæreticum post primam & secundam correptionem euitare debeamus*,  
*scientes quia huiusmodi subuersus est, & delinquit proprio*  
*iudicio condemnatus*, nullo modo oportet nos deinceps tacere,  
 aut quiescere, ne quoquo modo iniqui iudicemur, odibilem Deo  
 pacem amplectentes: quoniam scriptum est, *Zelau in peccatoribus,*  
*pacem peccatorum videns: & dicat etiam de nobis: Sacerdotes mei*  
*contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea:*  
*inter sanctum & profanum non habuere distantiam,*  
*inter pollutum & mundum non intellexerunt: sed confurgere cum*  
*Deo, & consistere prompte, induentes arma spiritus,*  
*aduersus malignantes contra fidem eius, vt approbemus*  
*spiritus sapienter, id est, verba eorum, si ex Deo sunt.*  
*Scriptum est enim in Ieremia: Probato- rem dedi te in populo*  
*meo robustum, & scies, & probabis viam eorum.* Multa namque nobis  
 necessaria est vigilantia, & tanta diuinæ sapientiæ rimatio, quæ  
 occulta tenebrarum reuelat, ad requisitionem huiusmodi rei &  
 scrutationem, quoniam latet quodammodo & absconditur,  
 vixque comprehenditur dolosa existens malitia, pro eo quod  
 sibi pietatem callide blandiatur, vt valeat scrutantium  
 mentem latere. Quod vtique sciens beatus Apostolus, ait: *Nam*  
*huiusmodi pseudoapostoli & operarii subdoli, transfigurant se*  
*in apostolos Christi.* Sed non mirum, quoniam & ipse  
 satanas transfiguratur se velut angelum lucis. Et ideo non  
 mirum, si ministri eius transfigurantur, velut minister iustitiæ,  
 quorum finis secundum opera eorum. Sed & Dominus in hoc  
 præmunens nos, ait: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad*  
*vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*  
 A fructibus eorum cognoscetis eos. Ergo in idipsum ex toto  
 corde referentes ante omnia super tali quæstione deprecationem,  
 & dicentes cum Dauid: *Reuela oculos meos, & considerabo*  
*mirabilia de lege tua: Lucerna enim pedibus meis verbum tuum*  
*Domine, & lumen semitis meis, quoniam ipseus est, sicut ait*  
*B. Daniel propheta, sapientia & fortitudo. Dat sapientiam sapientibus,*  
*& scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse reuelat profunda*  
*& abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est.*  
 qui sapientiam, inquit, & fortitudinē dedisti mihi, & ostendisti mihi,  
 quæ rogavi te, cum ope diuina, vniuscuiusque personæ conscripta eo-

rum, qui pro nouitatis commento accusati sunt, de venerabili scrinio nostro obsecundantibus, & nobis rationabiliter offerentibus solertius intendamus; ita ut qui hæc præsumperint præuaricari, primum quidem subiaceant iudicio terribili omnipotentis Dei, deinde autem qualemcumque regalem indignationem reuereantur, per quam, si quidem episcopi aut clerici sunt, a sui sacerdotii, siue a cleri sui ordine modis omnibus excidant: si autem monachi sunt, segregentur, & alieni sint de suis locis. Si autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis. Si autem sunt priuati, si quidem nobiles existunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur. Si autem ignobiles, non solum in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur: ut omnes timore Dei compressi, & comminata eis digna supplicia reuerentes, immobilem & sine turbatione pacem sanctarum Dei ecclesiarum custodiant. Data 8. Kalendarum Iunii, Asclepio & Deodato viris clarissimis consulibus. Gloria Christo Iesu Domino nostro, pax vobis. amen.

24. qu. 1.  
Qui contra  
pacem.

## NOTA.

Consules huic epistolæ superadditi, eam de fide suspectam arguunt: nusquam enim eorum nomina fastis alibi adscripta inuenire potui. Ultimo loco hanc epistolam vnicam in tomis Conciliorum prioris editionis extantem huc retuli: quia anteriores omnes secundum ordinem temporum collocaui. Hæc si a Liberio scripta est, eam vel sub Iuliano, vel sub Valente scriptam fuisse oportuit. Est enim responsoria ad epistolam Athanasii, qua scribit, se ab Arianis ad mortem quotidie quæri. Sitne vtraque Athanasii ad Liberium, & contra Liberii ad Athanasium, suspectæ fidei, doctiores iudicent.

Hæc episto-  
la de fide  
suspecta.

## ATHANASII RESCRIPTVM

AD LIBERIVM EPISCOPVM ROMANVM,

*Quod perfectum hominem assumpserit Deus Verbum.*

**V**NVS Deus, immortalis, inuisibilis, intactilis, eo quod Deus sit spiritus, idemque loco incomprehensibilis, neque vsquam est regio, vbi non existat. Huius verbum, immortalis sapientia est, incorruptibilis, inuisibilis, idemque Filius primogenitus, operum socius, principio



Gen. 1.  
Gen. 6.  
Exod. 20.  
Iohn. 1.

carens, impalpabilis, cui nullum ætatis aut initium aut finis, *per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil.* Hic est qui finxit hominem, hic est qui rationem fabricanda arca ostendit, hic est qui pollicitationes Abrahamæ fecit, hic est qui descendit ut populum seruaret, qui Moyfi legem dedit; hic est Deus Abrahamæ, Isaac & Iacob, qui in prophetis locutus est: hic est testator noui & veteris testamenti, qui in vltimis diebus carnem ex Virgine mortalem assumpsit, cum ipse interim immortalis esset; eandemque imbecillum, ipse minime imbecillis: obnoxiam morti, ipse nulli obnoxius: visibilem, ipse inuisibilis. Illa, inquam, caro suspenfa est in cruce, non ipse: in illa omnes humanas passiones vt homo sustinuit, non ipse. Ipse enim est Dei virtus, hoc est, Deus, qui quæ indissolubilia erant, in inferno soluit, & imperium diaboli destruxit, ascendit eo vnde descenderat, & qui corpus suum a morte excitatum patri repræsentaui, ac vindicauit a morte, sub cuius imperio tenebatur. In Filio Patrem intelligimus, cum vnus cum eo sit, deitate, potentia, essentia, substantia, gloria, Dei appellatione: & in Patre Filium quoque agnoscimus. Hic est, qui vbi assumpserat carnem, Iesus vocatus est, quatenus homo fuit, hoc est, assumpsit hominem in seipso, in quo omnis plenitudo deitatis inhabitat corporaliter. Hunc existimamus non segregatum a Patre, aut sancto Spiritu: neque tamen ita, vt dicamus Patrem descendisse, & in homine fuisse. Ita vnus Deus pater omnipotens a nobis creditur: ideoque fides nostra est in vnum Deum patrem omnipotentem, & in Filium eius Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum; eosque ex vnitæ vna, potentia vna, substantia, essentia vna, gloria vna, dominatione vna, regno vno, imagine Trinitatis vna, consubstantiales esse credimus, *per quem omnia facta sunt.* Ita quoque carnis resurrectionem credimus, hoc est, corpus nostrum secundum sacras scripturas ex corruptibili mortali que, in incorruptibilitatem & in immortalitatem a Deo murandum esse. Amen.

DE-

DECRETA LIBERII PAPÆ,  
PRIORIBVS NON INSERTA,  
desumpta ex codice vetusto 16. librorum,  
lib. 13. cap. 9.

*Quod in diebus ieiunii nulla iurgia esse debeant.*

**I**N his ieiuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus & opere necessario persistendum. Arguit enim eos, qui contentiones & lites quadragesimæ tempore faciunt, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ecce in diebus ieiunii vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie.* <sup>Isa. 58.</sup>

EIVSDEM CAPITE DECIMO.

*Vt in sacris diebus ieiuniorum coniugati a coniugibus se abstineant.*

Abstinendum est in his sacratissimis quadraginta diebus a coniugibus, & caste & pie viuendum, vt sanctificato corde & corpore isti dies transigantur, donec perueniatur ad diem sanctum Paschæ: quia pene nihil valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigilia & eleemosynæ non commendant.

EIVSDEM CAPITE DVODECIMO.

*Si euenerit fames aut inæqualitas aeris, quid agendum.*

Si euenerit fames, inæqualitas aeris, pestilentia, vel talis qualiscumque tribulatio, statim ieiuniis, eleemosynis & obsecrationibus, Domini misericordia deprece-  
tur.